

deret, Ecclesiam Romanam variorum errorum insimulare est ausus, atque inter alia eidem exprobrabat, quòd illis Symboli verbis *qui ex Patre procedit*, interseruerit *Filiòque*: quòd non feriâ quartâ, uti Ecclesia Græca, sed Sabbato suis jejuniùm impeteret: quòd Matrimonii Sacramentum vilipendat, Clericos à nuptiis arcendo &c. Aiebat insuper, per ipsam Imperii Romani Constantinopolin translationem urbis illius Patriarchæ præ Episcopo Romano primas datas, & adjudicatas fuisse, &c. Ac licet schisma hoc, ab impio Photio excitatum, haud multò post sopitum fuerit; seculo tamen XI. à Michaële Cerulario, instauratum in hanc usque diem perdurat.

#### 6. Quæ Concilia celebrata?

1. In Synodo Oecumenica VIII. Constantinopoli A. 869. coacta, S. Ignatius Sedi Constantinopolitanæ, qua per summum nefas ab impio Photio deturbatus erat, restituitur, sacrarumque imaginum cultus concordibus denuò suffragiis approbatur. 2. Gotteschalculus à pluribus Conciliis hæreseos damnatus, scriptisque igni datis, in perpetuam custodiam, ne porro nocere posset, traditus est.

#### 7. Quid de sacris ritibus dicendum?

1. Dies omnium Sanctorum honoribus sacer Gregorii IV. jussu ab universa Ecclesia solemniter celebrari coepit. 2. Gravi morbo oppressi *Confessione Sacramentali* peccata primùm expiabant, tum *extrema Unctionis Sacramento* muniebantur, morboque ingravescente sacro demum viatico reficiebantur.